



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 39. Gallorum Victoriæ in Pedemontio: Calvii obsidionem solvere
compulsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

priseæ, & veteris Ecclesiæ morem, atque vestigia sequareis, nam ea neque ferro, nec igne stabilita fuit, sed his ipsis restitit semper Antistitum diligentia, dum & frequenter illi verbum Dei docerent, & honestis vice prælucerent exemplis: cum igitur hac ratione sit olim confirmata, nunc etiam eadem retineri posset, & conservari, si tu modo velis illud exequi, quod in tua potius manu positum est, hoc nimirum, ut Antistites, pastores ovium, suas ipsi coram Ecclesiæ gubernent: idem faciant inferiores quoque ministri, pie vivant, & verbum Dei doceant, aut per homines idoneos doceri faciant, deinde, ut in posterum ii præficiantur, qui possint docere populum ipsi, neque vicarios in locum substituant. hæc est radix, quam excolere oportet: huic est inædificandum fundamento: sic enim sperare liceat, futurum: ut hæreses paulatim evanescant: sin autem hæc via negligitur, metus est, ne magis, atque magis augescant, quæcunque demum edicta fiant, vel adhibeantur remedii.

§. XXXIX.

Gallorum victoriæ in Pedemontio:

*Calvii obsidionem solvere
compulsi.*

Hoc anno Gallorum armis in Italia nonnulla subigebantur oppida; die *Thu. l. 15.*

Sæc. XVI. enim nona evoluti Mensis Decembris
A.C. 1555 Vercellas in Pedemontio occuparunt,
ac ductore Brissaco Casalis obsidionem
prospero successu urgentes die tertia
Martii hanc urbem primo, paulo post vero
ipsam quoque arcem ditione ceperunt.
Die autem vigesima prima Septembris
idem Brissacus Vulpianum Pedemontii
oppidum, & denique die septima Octo-
bris Mont-Calvium urbem inopino im-
petu obruit, Salvaïssonus vero Casalis
Gubernator illius arcem pactis condi-
tionibus in suam potestatem redegit.
Verum minus prospera fortuna in Cor-
ficiæ Insula utebantur, Calvium obsiden-
tes: quamvis enim a Turcarum classe
adjuti essent, ac Genuenses ex hac In-
sula penitus ejicere sperarent, nihilomi-
nus die decima Augusti impetu in ur-
bem facto, terque redintegrato certa-
mine trina quoque vice repulsi sunt,
multum indignante Ursino, qui obsidio-
nem solvere Gallis præcipiens ad Ba-
stiam castra ponere statuit: verum rur-
sus re infecta discedere cogebatur, cum
enim Turcæ vires conferre recusarent,
ipfe vero solus rem confidere haud pos-
set, hinc altera hæc obsidio exitu suo
frustrabatur: igitur sub finem Mensis
Augusti Turcica classis, postquam Sar-
diniæ oram pervagata est, ad sua rever-
teba-

tebatur, Gallica vero Massiliam, unde **Sæcul. XVI.**
venerat, paulo post se contulit. **A.C. 1555.**

§. XL.

*Franciscanorum consilia de Metenſi
urbe Cæſareis tradenda.*

Sub idem tempus detecta est conjura- **Sleid. l.c.**
tio quorundam Franciscanorum, qui **Thu.l.15.n.6**
Metensem urbem Cæſareis tradere mo-
liebantur; cum enim eo tempore ge-
neralia Ordinis sui comitia celebrarent, **Belc.comm.**
l.26. n.63. hoc obtentu usi decernebant, ut mili-
tes Monachorum habitu vestiti introdu-
cerentur, perinde acsi viri essent Reli-
giosi ad Capitulum confluentes: cum
vero ad alendam tantam multitudinem
ingens quoque vini, ac frumenti copia
esset necessaria, hinc statuebatur, ut plu-
rima dolia, quibus tamen arma inclu-
derentur, urbi inferantur. His ita con-
clusis Theodonis-villæ præsidiarii pos-
tis loco idoneo prope Metim infidiis ur-
bem aggredi jubebantur, cumque Galli
abs dubio eos repulsuri urbe excedere
pararent, tunc exhausta per Gallorum
eruptionem civitate, milites a Francif-
canis introducti ad arma conclamarent,
portisque occupatis eos, qui in infidiis
latebant, in urbem exciperent. Porro
cum quidam Gallicæ Legionis Tribunus
observaret, quod quidam Franciscanus

S 4 fæpius